

PARS LIBRI HVIVS


TER TIA DE TVRRIVM ALIARVMQ; STRVCTVRA=
rum dimensionibus, iuxta ipsarum & altitudinem & mutuam inter se di=
stantiam, Et de aquæductibus.

PROPOSITIO PRIMA

¶ Altitudinem Turriū ex vmbra propria, Qua=
drantis huius nostri benefico, exacte metiri.

Dimensurus vel Turrim vel aliud quoddam ædificium ad quod in terra facile iusta planicie pertransiri potest, radios siue solares siue lunares per piñulas excipe, statimq; filum obserua, illud enim si aut in arcu HI supra puncta 100. aut in limbo super 45. gradus ceciderit, scies Turrim eius esse altitudinis cuius est vmbra sua longitudinis. Hanc ergo si vel vna vel alia mensura consueta mensuraris, credas te iā turrim quoq; ipsam esse dimensum, vt si vmbra in longitudine passus habeat 80., totidem quoq; habebit in altitudine Turris. Quod si vero filum non omnino directe super 100. puncta ceciderit, poteris expectare paulisper, dum vel Sol vel Luna altius ascendat, magisque descendat, & tunc filum recte super 100. puncta cadat.

Dimensionis huius vsus ex subiecta
figura colligi potest facillime.



PROPOSITIO SECVNDA

¶ Altitudinem quoq; filo super puucta
vmbrae rectæ cadente, cōmode metiri.

Porro q̄; primum puncta vmbrae rectæ filum contigerit, scias Turrim esse altiorem vmbrae longitudine, & tunc quidem altitudo tibi erit inuenienda hoc modo, per huiusmodi similitudinem. Si cadit filum super puncta 50. vmbra mediam tantum altitudinis Turris partem in sua habet longitudine. Sin vero cadit sup 25. puncta, quia 25. centenarij quarta pars est, & ipsa quoq; vmbra longitudine sua quartam tantum sublimitatis turris partem representat. Debentq; puncta hoc modo in regulam poni. Quod si filum tetigerit puncta 25. vmbrae rectæ, vmbrae in longitudine tunc habeat 42. siue passus siue vnas, regula hæc tibi esto, 25. dant 42. quantum emerget ex toto; multiplica 100. cum 42. & prodibunt inde 4200., ea si diuiseris in 25, passus habebis in quantitate 168. que Turris propositæ erit